

# MELISSA

EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08. Telecop. (02) 735 51 32

Editor responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT - guy.licoppe@pophost.eunet.be

Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4

## *Melissa nuntios autumnales affert!*



Fanum Kōfukuji constat e compluribus aedificiis, inter quae numeratur haec turris quinq̄ezona (Gojūno-to). Primum exstructa est anno 730 atque iterum anno 1426; est una ex altioribus totius Iaponiae atque habetur ut «thesaurus nationalis».

... *Zuquestio fundamentalis: suntne conventus Latini Latine habendi?*

☞ p. 2

... *Autumno tempore institui solent expositiones: Parisiis de Iaponia ...*

☞ p. 4

... *Et Cortoriaci in Belgica de Sidronio Hosschio ...*

☞ p. 6

... *de quo carmen proponitur amicitiae pulcherrime deditum*

☞ p. 7

... *Symposium Latinum habitum est inter esperantistas!*

☞ p. 9

... *His temporibus multum agitur de futura moneta Europaea. Quid in hac re fiet? Quid fieri potest? Monetarum aspectus historicus etiam dignus est, qui respiciatur*

☞ p. 10

... *Magistri, ecce de institutis Romanis secunda pars discipulis fructuose proponenda*

☞ p. 14

# DE CONVENTIBUS LATINIS

SCRIPSIT GAIUS LICOPPE

**E**o attentius legimus scriptum quod Ericus Palmen in fasciculo 39 periodici Palensis c.t. M.A.S. modo divulgavit, quod inter omnes constat auctorem optimum cultorem sincerumque fautorem Latinitatis vivae esse. Nonne ille vir proximo superiore anno thesin doctoratus in Finnia et conscripsit et exposuit Latine: res nostris temporibus rarissima.

Quo in scripto agitur de nono Academiae Latinae conventu anno 1997 in Finnia habendo et specialiter de lingua adhibenda inter hunc conventum. Ericus Palmen, cum ab epistulis factus sit, suam sententiam afferre vult in controversia anno 1993 inter octavum conventum orta, ubi impellente Professore Iosepho IJsewijn linguae nationales aequae ac lingua Latina acceptae sunt ad maiores orationes faciendas.

Nos valde gavisi sumus quod Professor Thomas Pekkanen hac una condicione voluit nonum conventum in Finnia instituere, ut omnes acroases essent Latinae. Putamus hanc reactionem necessariam esse ne Academia a scopo suo primordiali omnino discedat.

Idem tamen non videtur censere Ericus Palmen. Argumentum affert hoc: «Neque enim obliviscendum est in tales conventus e toto orbe terrarum omnes linguae Latinae amicos, fautores studiososque invitari solere, sicut etiam nos fecimus, horumque numerum nostris temporibus multo maiorem esse quam eorum Latinistarum, qui in studiis Latinis tam longe processerint, ut ipsi facilitatem assecuti sint Latine aut scribendi aut loquendi.»

Ego puto problema hoc modo non bene positum esse. Quaestio fundamentalis est haec: qualis est scopus Academiae Latinae anno 1966 conditae? Statuta Academiae sunt imprimis inspicienda. Infeliciter mihi non sunt ad manum, sed origo historica Academiae mihi bene nota est: orta est e motu Latinitatis vivae, quem Iohannes Capelle creavit anno 1956, cum Avennionem instituisset primum «Viventis linguae Latinae causa conventum universum».

Nonnulli fortasse dicent: «Post quadraginta annos, cum condiciones nostri temporis mutatae

sint, oportet etiam Academiae modus agendi mutetur».

Hoc certe fieri potest, sed non sine Academiae sodalium deliberatione et decreto dilucide patefacto. Tunc, ut optat Professor IJsewijn, Academia numerabitur inter has societates scientificas, ubi quovis sermone vernaculo tractatur de prioribus scriptis Latinis, sed ubi nullo modo colitur Latinitas viva.

Cur ego vel alii Latinitatis vivae fautores, qui non sunt philologi Latini, Academiae conventum participarent, si solum facta esset philologorum societas scientifica?

Talis Academiae mutatio non solum Latinitati non favebit, sed iterum instituet Turrim Babylonicam. Ericus Palmen narrat, cum dissertatio eius doctoralis in Universitate Granivicensi publicae censurae subiceretur, profestricem quandam, quae inter iudices sedebat, linguam Latinam bene intellexisse sed non satis calluisse ut ipsa verba Latina facere valeret. Ericum ergo Italiano sermone allocuta est. Hoc vero in conventu non est emolumentum. Ego v.g. sermonem Italianum non intellego, neque Theodiscum. Ex altera parte quot participes verba mea intellegerent, si Francogallice loquerer?

In fine, ut nostris temporibus plerumque fit, maioris momenti pars rerum in Academia tractabitur sermone Anglico! Auditores iam non defatigabuntur oratorum manca Latinitate, ut scribit Ericus Palmen, sed manca Anglicitate, quae est vitium multorum, quibus sermo Anglicus non est patrius.

Nobis fingere audemus omnino aliam Academiae imaginem. Nolumus eam contineri turri eburnea, id quod timet Ericus Palmen, sed e contrario optamus ut Academia hortetur et adiuvet eos, qui operam dant ad sermonem Latinum vivum docendum, in usum cottidianum restituendum atque gradatim latius diffundendum. In Academiae conventibus duo generalia proposita sunt nostro sensu necessaria.

Primum spectat ad doctos, qui de operibus suis aliquid Latine conferre non recusant. Non solum aestimandi sunt pro sua scientifica cooperatione,



## *De Latinitate colenda*

sed etiam monstrare debent quibus verbis dilucidis tractandum sit de quavis doctrina.

Alterum propositum nec minoris momenti spectat ad genus humilium sed multo frequentius simplicium Latinitatis vivae cultorum. Amant, cupiunt, desiderant celebrationes Latinas, ubi grate accipiantur, ubi materia minus docta plusque iucunda eis proponatur.

In tanto Latinorum doctorum conventu, ubi certe non desunt experti iudices, cur non decernuntur praemia optimis eorum qui, intra temporis spatium a superiore conventu actum, librum Latinum conscripserint?

Cur circuli Latini, quorum non pauci nunc temporis in orbe terrarum exstant, non invitantur ad referendum de suis rebus gestis?

Cur certamina elocutionis Latinae (nondum

eloquentiae! Unum post alterum) non instituuntur?

Qualis societas melius quam Academia apta est ad gradus conferendos, quibus aemulatio concitatur? Haec omnia optime congruunt cum eius scopo primordiali. Cur non fit? Academiae sodales utrum pigri an timentes sint non plane scio.

Pro certo tamen habeo solum huius modi inceptis fieri posse ut augeatur et numerus et qualitas Latinitatis vivae cultorum. Non sufficit sperare, ut suadet Ericus Palmen in fine sui scripti, eos quibus licebit sermone vernaculo inter conventum uti «paullatim ardore incensum iri non modo res ipsas ab oratoribus tractatas fusius cognoscendi, sed etiam vivo usu Latinitatis assuescendi». ☛

## DE ERYCIO PUTEANO (1574-1646)

### INTERNATIONALE COLLOQUIUM

instituetur Lovanii diebus 7 et 8 m. Nov.  
et Antverpiae die 9 m. Nov. a. 1996

auspiciis et opera

- Seminarii Philologiae Humanisticae (K.U.Leuven)
- Provinciae Litterarum Latinarum Graecarumque Universitatis Antverpiensis (UFSIA)
- Orbis Neolatini (sive Flandricae consociationis studiis Humanisticis et Neolatinis deditae)

Si quis participare vel plura scire cupit, interroget Professore Theodoricum Sacré;

Dirk Sacré  
K.U.Leuven Sem. Phil. Hum.  
Blijde-Inkomststraat, 21  
B-3000 Leuven  
Tel. 016/ 32 49 08 (K.U.Leuven)  
016/23.46.60 (domi)  
Telecop. 016/32 49 09  
Dirk.Sacre@arts.kuleuven.ac.be

# DE INITIIS BUDDHISMI IN IAPONIA

NARRAT GAIUS LICOPPE

**R**aro fit ut commode et sine multitudinis impedimento lustretur quaedam praestans expositio bellarum artium Parisiis instructa. Hoc tamen feliciter contigit Melissa moderatoribus, cum exeunte mense Septembri novam expositionem inviserent quae spectat ad Buddhismi initiis in Iaponia<sup>1</sup>. Quae condicio, nobis iucunda, inexpectata tamen erat cum haec expositio esset res omnino extraordinaria atque inusitata. Numquam enim antea tot simulacra antiqua, pretiosa, fragilia necnon venerata e Iaponia exportata sunt. Cur nunc?



*Hoc aeneum caput Buddhae VII saec. in Iaponia fusum est rarum pulchrumque vestigium primae aetatis Buddhismi Iaponici.*

Regimen Francogallicum superiore anno pulchram expositionem instituerat de Serindia, quae spectabat ad influxum philosophiae Indicae in Sinis. Logicum ergo erat monstrare Buddhismum Iaponiam etiam tetigisse atque invasisse. Hoc votum feliciter congruebat cum




*Yuima-Koji*

propositis regiminis Iaponici, quod eodem fere tempore Parisiis creaverat «Domum Culturae Iaponicae» qua Occidentales hanc culturam melius cognoscerent.

Amborum ergo regiminum consensus facile ortus est. Iaponica Officina Rebus culturalibus Fovendis (*Bunka-Chō*) simulacra aliaque monumenta Lutetiam mittere statuit quae servantur Narae in fano *Kōfukuji*. Cuius fani monachis etiam oportebat suadere ne vetarent exportationem monumentorum tum fragillium cum maxime veneratorum. Sed monachi hanc petitionem vix recusare poterant; nam eis gratiae regimini Iaponico agendaerant propter unum ex fani aedificiis rei publicae sumptibus modo restauratum. Attamen, cum haec essent sacra religionis Buddhisticae monumenta, caerimoniae religiosae per triduum Parisiis factae sunt in ipso Magno Palatio ubi inaugurabatur expositio.





*Muchaku*

Iapones sua monumenta culturalia distribuunt in compluribus categoriis secundum eorum aestimationem. Prima categoria constat ex monumentis quae habentur «thesauri nationales», secunda ex eis quae habentur «bona culturalia magni momenti».

Fanum *Kôfukuji* est unum ex septem magnis fanis urbis Narae, quae VIII saeculo condita est atque fuit prima Iaponiae urbs caput. Quod fanum a primordio suo VIII saeculo fuit sanctuarium gentis *Fjiwara* quae potentissima erat in Iaponia usque ad XII saeculum.

Fanum *Kôfukuji* est unum inter pauca ubi magna copia «thesaurorum nationalium» vel «bonorum culturalium magni momenti» servatur. Eius antiquiores thesauri pertinent ad primam Buddhismi periodum in Iaponia quae de *Asuka* (VII s.) nominatur. Adhuc est centrum sectae Buddhisticae *Hossô*, quae nostris etiam temporibus Magni Vehiculi (*Mahâjâna*) doctrinam retinet et specialiter institutionem celebris scholae Indicae illorum c.n. *Yogâcâra* (i.e. eorum qui methodos psychophysiologicalas yogae exercent).

Quamquam aedificia fani *Kôfukuji* bellis intestinis incendiisque decursu saeculorum compluries deleta sunt, pleraque mobilia monumenta a sacerdotibus servari potuerunt, quorum familiae per saecula fano deditae sunt.

Unum restat dicendum de expositione Parisiensi: simulacra et alia monumenta primae


periodi Buddhisticae in Iaponia, quae Parisiis ostenduntur, a posterioribus Iaponiae regentibus reiecta sunt, quia nimis pendebant ab influxibus extraneis, scilicet «Viae Sericae». Nationalistae Iapones existimant veram culturam Iaponicam XIII saeculo initium habuisse, cum ortus esset Buddhismus Zen atque appareret significatio symbolica caerimoniae theae.

Neque possumus hic imagine monstrare neque verbis explicare illos viginti duos «thesauros nationales» quos Iaponia Francogalliae exponendos tradidit. Pauca tantum afferre liceat.

*Yuima-Koji*: huius sapientis viri ligneam statuam multicolorem, circiter 90 centimetra altam, sculpsit *Jôkei* anno 1196. In sanctuario ubi servari solet, posita est iuxta statuam alterius sapientis c.n. *Monju-Bosatsu*. Nam eorum dialogus famosus est, e quo secundum Indicam traditionem ortus est unus e textibus fundamentalibus Buddhismi cuius thema est «vacuitas». Docet mundum esse vanam speciem, qui solum exstat in mente; sola exstat conscientia.

*Seshin-Bosatsu*: huius sapientis ligneam statuam multicolorem 190 centimetra altam sculpsit *Unkei* anno 1212. Servatur in octogono aedificio septentrionali fani *Kôfukuji*, ubi una cum alio docto c.n. *Muchaku* stat iuxta maiorem statuam bodhisatvae *Miroku* (*Maitreya* apus Indos), qui eis revelavit hanc doctrinam: «nihil exstat nisi conscientia».

Nobis etiam valde miranda est statua ex laca confecta cuiusdam deitatis tutelaris Buddhismi c.n. *Kendatsuba*; gerit enim in capite spoliolum leonis Nemeaei: inexpectata memoria longinqui Herculis in Extremo Oriente!



*Kendatsuba*


<sup>1</sup> «Les trésors bouddhiques de Nara», Paris, Grand-Palais, 20 Sept. - 9 Dec. 1996, ab hora 10 ad 20, Mercurii die usque ad horam 22, clausum Martis die.

# DE SIDRONIO HOSSCHIO

EXPOSITIO FIT IN PUBLICA BIBLIOTHECA CORTORIACENSI

Sidronius Hosschius (Syderoen de Ho(o)ssche), Iesuita et poeta Latinus, natus est in Flandrico

iam noverunt: nam fasciculis *Melissae* 72 et 73 Prof. Theodoricus Sacré expositionis moderator iam proposuit pulchram praegustationem eius operum et poeticorum et epistolarium. Restat ut expositionem lustrantes plura de Flandro poeta discatis et delectemini spectaculo veterum librorum Latinorum. Sed curratis oportet! Nam solum fit a die 5 in diem 31 m. Octobris! ☛



vico c.n. Merkem ante quadringentos annos. Haec est bona occasio poetae celebrandi, qui habitus est ut unus e maximis poetis Flandriae. Inter alias universitarias actuositates proponitur expositio<sup>1</sup> Hosschio dicata, quam *Melissae* moderatoribus lustrare iam licuit. Haec expositio ea de causa Cortoriaci instituta est, quod Hosschius in hac urbe diu vixit pulcherrimaque suorum poematum ibi panxit. Hac expositione non solum vita et opera illius poetae ostenduntur, sed etiam tangitur historia Iesuitarum et institutionis eorum et humanismi qui illo tempore floruit in Flandria occidentali.

Catalogus 191 paginarum, Nederlandice conscriptus a Prof. Theodorico Sacré cooperantibusque, summam offert scientiae hodiernae, quae pertinet ad Hosschii vitam, opera et bibliographiam.

Ceterum lectores nostri Sidronium Hosschium

<sup>1</sup> Sidronius Hosschius (1596-1653) Jezuïet en Latijns dichter, Stedelijke Openbare Bibliotheek, Leiestraat 30, Kortrijk, 5-31 Oct. 1996. Lunae, Mercurii et Veneris die 10-12 h. et 14-19 h.; Martis et Iovis die 14-19 h.; Saturni die 10-12 h.



# SIDRONIUS HOSSCHIUS

POETA LATINUS (1596-1653)

[III. ARTIS HOSSCHIANAE SPECIMINA] SELECTA A THEODORICO SACRÉ

1. Ex *Elegis in mortem duorum militum Hispanorum* (Antverpiae, 1650): *Eleg.* 1

Montibus ad meridiem versus iter facienti occurrit paulo post hodiernos Belgarum fines relictos urbs, quae *Capella* Latine, Gallice *la Capelle* vocatur. Quod oppidum dum anno 1650 ab Hispano-Belgis, duce Leopoldo Gulielmo, Belgii pro rege gubernatore, expugnatur, miles quidam, Ioannes Laurentius nomine, glande ictus occidit. Cuius mortem Franciscus de Solis commilito amicissimus tantopere flevit, ut et ipse subita morte sit extinctus. Ad rei ergo perpetuam memoriam monumentum extruendum curavit Leopoldus Gulielmus, carmina vero tria et flebilis et suavissima scripsit Sidronius Hosschius. Cfr. N. Avancinus, *Leopoldi Guilielmi, archiducis Austriae, principis pace et bello inclyti, virtutes* (Antverpiae, 1665), pp. 111-112; D. Sacré (ed.), *Sidronius Hosschius (Merkem 1596 - Tongeren 1653) jezuït en Latijns dichter. Publicatie n.a.v. zijn vierhonderdste verjaardag* (Cortraci, 1996), pp. 65-66 et 147-148.

\*  
\* \*

Non solae Marti comites Iraeque Minaeque  
et Dolor et pallens frigore Terror eunt:  
it quoque iuncta Fides et amans Concordia pacis  
vinctaque Palladia Gratia fronde comas.  
Agmen ducit Amor pugnaeque cupidine flagrans  
in promptu pharetram telaque semper habet,  
et sua quo Mavors ponit tentoria campo  
et sua quo Mavors pulvere signa movet;  
non illum litui, non illum classica terrent,  
non qui disploso personat aere fragor,  
non mediae caedes: mediis in caedibus errat  
et plus posse negat Martia tela suis.  
Tu mihi, tu testis venias, Leopolde, secundo  
Gallica qui praesens oppida Marte quatis.  
Auspice te quoque pugnat Amor, sua vidimus illum,  
vidimus in castris arma movere tuis  
hostilesque acies inter nostrasque volantem  
saeva necatura spargere tela manu,  
cumque tuis miscere suos et habere triumphos  
victoremque nova cingere fronde caput.

Facta cano! Cinctam violento Marte Capellam  
dum premis et laceris moenibus instat  
Iber,  
emicat ante alios saevum generosus in hostem  
miles et in prima proelia fronte ciet;  
dumque moras fossae superat, dum submovet  
hostem,  
saucius hostili tempora glande cadit.

Perculit attonitum rumor funestus amicum:  
vix animi compos, vix suus ille fuit.  
Seque simul miserum, simul hoc se vulnere laesum  
clamat et unius morte perisse duos.  
Nec mora, prosiliens «Corpus referemus et arma  
protinus aut illis immoriemur» ait.  
Barbara res amor est: furit ater et audet in illos  
omnia subiectos quos sibi victor habet.  
Ecce velut catulos dum quaerit ab ubere raptos  
obvia venantum fertur in arma leo,  
sic ad sanguineam praeceps festinat arenam,  
conscia quae pugnae plenaque caedis erat.

Quo, periture, ruis? Socii, retinete! Cruentae  
hic quoque pars stragis, ni prohibetis, erit!  
Audior: hinc atque hinc castris effusa iuventus  
convolat: obsistunt praecipitemque tenent.  
«Ah non servatis, socii: me perditis», inquit;  
«dimidio per vos dividor ipse mei!»  
Quid faciat? Cesset? Timet esse infidus amico;  
servantes tentet fallere? Nulla via est.  
Pervigil invitum custodia servat, at illi  
in luctu et lacrimis nox vigilata fuit.  
Et cruor et caedes hostisque et vulnus in ipsis  
omnia sunt oculis omniaque auget amor.  
Lux aderat. Tecum, Leopolde, paciscitur hostis;  
advolat ad pugnae protinus ille locum.  
Quem simul ac tetigit, vestesque agnovit et arma  
(nam species vultus nulla prioris erat),  
dat gemitum colloque super procumbit amico  
caraque flebiliter nomina saepe vocat;  
quosque tenere nequit miscet cum sanguine fletus  
et reputat vulnus, quod videt, esse suum;  
et quasi tum primum caedem didicisset amici  
plangit et infesta percutit ora manu;  
complexusque suis pallentia membra lacertis



«Has» ait «exuvias victor ab hoste refers?  
Sic, miserande, redis? Talem tua te mihi virtus  
reddidit, o animae pars mihi rapta meae?  
Illa manus, quae te, mea vita, peremit, et in me  
saeviet et gemini funeris auctor erit.»

Questibus effusis, in quos amor ipse disertum  
fecerat et magno mixtus amore dolor,  
surgit humo corpusque suo sibi carius aufert;  
addit amor vires et leve reddit onus.  
Iamque locum tumulto nactus, dum flebile funus  
in molli lacrimans caespite ponit humi,  
dum galeam capiti demit, dum pectora nudat,  
dum siccat timida vulnera cruda manu,  
oraque dum spectat cerebro perfusa cruento,  
«Hoc ferit, hoc lacerat me quoque vulnus» ait;  
«saucius ipse iaces, sed saucius hostis ab hoste:  
tu mihi causa meae mortis amicus eris!»  
Dumque fodit terram, cui flens miserabile reddat  
corpus, et ad vultus lumina saepe refert,  
deficiunt ad coepta manus; positoque ligone  
«Tene sub hac potero condere» dixit «humo?  
Haec manus iniecta mihi te subducet arena?  
O potius, quae te, me quoque terra tegat!  
Felix, si possim sub eodem caespite condi  
et tibi quam vitae, tam necis esse comes!  
Atque utinam pro te confixus ab hoste iacerem  
fasque tibi nostra vivere morte foret!  
Esse merebaris nostris diuturnior annis;  
hei mihi pro meritis qualia dona refers?

(...)

Stulte, quid indulges animo sine fine dolenti  
nec lacrimis ponis tristitiaequae modum?  
Planctibus in vitam non est revocabile funus;  
nec feret extincto nec tibi luctus opem.  
Tot tua non audit surdum lamenta cadaver  
nec spectant lacrimas lumina clausa tuas.

(...)

Saucius occubuit: belli est fortuna, ferenda est.  
An potuit leto nobiliore mori?  
Emptum morte decus quaesitaque sanguine palma  
est:  
ipsa per hoc fortes Gloria ducit iter.

(...)

Vive, precor: quem fles in te quoque sospite vivet  
quaque magis cupiat parte superstes erit.  
Si moreris, totus tecum morietur et illa,  
qua nondum periit, parte peribit amans.  
Hei mihi, nil possunt monitus: dolor omnia vincit  
improbis et tanti causa doloris amor.  
Occidimus», dixit: «solantia tollite verba,  
tollite: nulla meis est medicina malis.  
Nec possum superare meos nec ferre dolores;  
nec se nec motus mens capit aegra suos.»  
Non illum tumuli, non coepta cura laboris,  
non comitum voces abstrahere inde valent.

Haeret amans gelidi complexus corporis artus;  
nec sinit avelli nec quod agebat agit.  
Haeret et humectat lacrimis corpusque locumque,  
nec memor officii nec memor ipse sui.  
Luminaque attollens: «Quis me manet exitus?»  
inquit;  
«hei mihi, quae sine te vita futura mea est?  
Si potero superesse tibi (te namque sepulto  
plus ego dimidia parte sepultus ero),  
ante meos oculos tristissima caedis imago  
et laceri vultus oraque semper erunt.  
Te cernam vigilans qualem modo; nocte silenti  
excuties somnos umbra cruenta meos.

(...)

Dulce caput, cui me primum natalis origo,  
deinde Fides iunxit, nunc quoque iungit Amor:  
Mors quoque nos iunget: telo duo sternimur uno -  
tu tua traiectus tempora, pectus ego.

(...)

Iamque dolor vires adimit vocemque loquenti  
nec superant vitae tempora longa meae.

(...)

Hanc animam adiciam suprema ad munera munus  
exequiasque tuas prosequar ipse meis.  
Nec telis opus est in vulnera nostra nec ense:  
vulnere conficior quod mihi fecit Amor.»

(...)

Dixerat; exanimesque iterum collapsus in artus  
ingemit et magno victus amore iacet.  
Credebant socii solito torpere dolore;  
aspiciunt oculos oraque: funus erat.

(...)

Fama volat miraque animos novitate moratur  
spectantumque oculos funera visa tenent.  
Plausit Amor leviterque suis se sustulit alis,  
spiculaque ostentans conscia caedis ait:  
«Partus honor, Leopolde, tuis tibi maximus armis;  
nec levis est armis gloria parta meis.  
Arma tibi tribuunt abiturum in saecula nomen;  
haec quoque militiae fama futura meae est.  
Te tua pro Belgis et me mea bella gerente  
spem virtus et se vincere visa fuit.»

(...)

Vivite, concordēs animae, tumultoque sub uno  
iunctus amicitiae praemia ferte cinis.  
Adiciet famae, quae dempsit tempora vitae,  
nomina qui numquam vestra silebit Amor.  
Et mea si quidquam, si post me vivere possint  
carmina, si qui me, non teget illa lapis,  
donec amicitiae leges et pacta placebunt  
vester inextincta laude vigebit amor.

(...)





# DE SYMPOSIO LATINO

## ARIMINI HABITO (2-6 M. SEPT. 1996)

REFERT FRANCISCA DERAEDT

**A**cademia Internationalis Scientiarum Mariniana anno 1985 condita est. Patronum sibi elegit Comenium, qui septimo decimo saeculo iam somniabat, non solum de quadam academia internationali condenda, sed etiam de lingua quadam universali creanda. Unde statim intellegitur praecipuam huius academiae linguam esse esperanticam; cui additae sunt lingua officialis rei publicae Marinianae et Theodisca. Sodales 700 numero oriundi sunt ex diversis orbis terrarum regionibus.

Quid ad Latinitatem? Inter illos sodales numerantur duo Latinitatis fautores, Vera Barandovská Bohema et Ianus Di Censo Italianus, qui inter annuam academiae sessionem linguam Latinam participibus etiam proponere voluerunt. Qua de causa symposium instituerunt cui hunc titulum dederunt: «Lingua Latina - lingua internationalis heri et hodie». Inter alios Vido Angelino tractavit de historia et usu hodierno linguae Latinae, Iosephus Mall de lingua Latina

fundamento linguarum Europaearum, Gaius Licoppe de Latinitate viva post alterum bellum mundanum.

Certe non nimis multi esperantistae dignati sunt Latinum symposium participare. Sed lingua Latina inter illos locum suum habuit! Iam multum est! Gratulamur eis, qui hoc initium posuerunt, atque speramus fore ut Latinistarum numerus tam magnus mox fiat, quam numerus esperantistarum iam est.

In hac re moderatores spem nolunt deponere: nam iam cogitant de symposio anno proximo proponendo, cuius thema erit «de cultu Latino internationali», ubi de arte poetica, rhetorica, musica, de litteris etc. agetur.

Si res vestra interest, adeatis Veram Barandovská, Kleinenberger Weg 16, D-33100 Paderborn, tel. +49/5251/163522, telecop. +49/5251/163533 sive Ianum Di Censo, Via Quarenghi 40/28, I-20151 Milano, tel./telecop. +39/2/38007853. ☛



*Vera Barandovská et Ianus Di Censo*

# CONSILIUM «ALCUINUS» DICTUM

PROPOSUIT ALBINUS FLACCUS PARISINUS, IN LATINUM CONVERTIT GENOVEFA IMME

**M**ense Decembri anni 1995 istum nuntium talem qualem alapam acceperamus: futuram monetam Europaeam non iam E.C.U. sed «euro» nominatum iri. E.C.U. certe parum gratum erat; nam, ut nomen obtineretur, quod nos (solos nos) Francogallos iuaret, «scutellum», futuram monetam Europaeam Anglice nominabamus: «EUROPEAN CURRENCY UNIT»; at etiam «euro»! Quantum careant ingenio! Iam erant «Eurostar», «Eurovision», Eurotunnel», «Eurodisney», «Euro 96», «Euroquodlibet»... Itaque istud «euro» nudum mancum videbatur. Alteram alapam mense Aprili accepimus: subdivisionem «euro» nominatum iri «cent»; tum intelleximus eos, qui «euro» invenissent, re vehementissime cogitavisse «eurodollar», id vero non ausos esse...

Infortunatam Europam! Cum tantam mediocritatem, tantam ingenii carentiam animadverterem, putavi quemlibet melius facere posse atque me iuvat excogitare, qualis moneta vere Europaea et qua communis identitas nationalesque identitates et irritabilitates observarentur, esse potuisset; et cum meliora sperare pergere velim, de ea in futuro scribo.

In systemate meo, moneta communis nominatur «Solidus Europaeus» (vel «Eurosolidus», ut gaudeant technocratae nostri, qui id poterunt, si eos iuvat, brevius dicere «euro»). Dividitur in centum «asses». Quae nova moneta in rem efficietur nummis et chartis nummariis Latine inscriptis; In nummo chartave quaque suum pretium pro solido et asse inscriptum erit; sed etiam unicuique nummo chartave inscriptum erit Latine singulis litteris tralatitiae monetae nomen.

Haec erunt nummorum nomina:

Nummus 1/2 assis: Obolus (obole, obolo, obol, etc...)

Nummus unius assis: As

Nummus 2,5 assium: Sestertius (Sesterce)

Nummus 10 assium: Drachma (drachme)

Nummus 20 assium: Denarius (denier, penny, denaro, dinar, pfennig, penni, etc...)

Nummus 50 assium: Thalerus (piastre, thaler, peso, daalder, tolar, daler, dollar, etc...)

Nummus unius solidi: Eurosolidus (sou, sol, shil-

ling, soldo, sueldo, schilling, skilling, etc...)

Nummus 2 solidorum: florinus (florin, fiorino, gulden, forint, florino, etc...)

Haec erunt chartarum nummariarum nomina:  
Charta 5 solidorum: Marca (marc, marca, mark, markka, etc...)

Charta 10 solidorum: Scutellus coronatus (écu, escudo, crown, krona, etc...)

Charta 20 solidorum: Libra franca (franc, livre, pound, pfund, lira, etc...)

Charta 50 solidorum: Ducatus (ducat, sequin, ducado, Dukat, zecca, etc...)

Charta 100 solidorum: Pistola (pistole, pistola, pichtal, doblon, etc...)

Haec nomenclatura, quae specie solum multiplex videtur, ter utilis erit:

Primum utilis nobis erit accommodationis tempore; nam non est contemnenda trepidatio, qua multi Europaeenses opprimuntur, cum eis moneta tralatitia amittenda et ei substituenda erit ignota moneta, quam mente difficile erit convertere. E.g. Francogallis, si pretia aestimare volent, erit multiplicandum aut dividendum per 6,4. Recordemur multis hominibus senioribus iunioribusve etiamnunc difficile esse «novis francis» protinus computare! Per hoc systema, poterunt in unaquaque natione per accommodationis tempus computationis unitate ad usum popularem cottidianumque uti uno e nummis supra dictis, cuius pretium propinquum sit priori nationis monetae; E.g. Francogalli (et Finni) denario uti poterunt (1,29 FF); Germani thalero (3,20FF); Belgae sestertio (0,16FF); Hispani et Lusitani et Graeci obolo, Sueti drachma, etc... Satis tum eis erit meminisse denarium valere paulo plus quam francum unum (francum paulum auctum, ut ita dicam) ut pretium pecuniamve statim aestiment. Pretia lege inscribenda erunt solidis ET locali computationis unitate per totum accommodationis tempus (quinque fere annos); Quo modo otium erit hominibus, ut novis monetis adsuefiant, dum eas palpant.

Dein, hae tralatitiae monetae in omnibus Europae linguis nomen habent; sic deletur difficultas ad nomina in omnibus linguis

enuntiabilia et omnibus placentia invenienda. Ceterum varia consilia adhuc proposita nationalibus irritabilitatibus offendebantur: itaque propositum est ut omnes Communitatis linguae in unoquoque nummo chartave essent, sicut mos est in diplomatibus commeatus nostris; vel unicuique nummo chartave unum latus internationale, alterum lingua symbolisque nationis emissoriae inscriptum, etc... Huiusmodi problemata non essent si Europae etiamnunc lingua sua communis esset. Attamen, etsi haec non iam in magno usu est, utile foederis symbolum etiam esse potest: si Latine monetam inscribemus, finietur istud proelium linguarum et morum, quo relationes inter nationes depravantur et diffidentia inter populos oritur.

Denique - quod sane maximi momenti est - hac nomenclatura communem monetae historiam nostram, et, trans eam, communem historiam nostram cunctam revisemus. Nam videamus quid haec monetarum nomina Europaeensibus significant:

- **Obolus:** antiquae Graeciae moneta aenea. In quibusdam occidentalis Europae nationibus, obolus erat dimidii denarii nummus.

- **As:** Latina origo est «aes». Prima Romanarum monetarum fuit: ingentes et aenei nummi, ponderis unius librae (Romanae). Cum argentei denarii 10 assium (denna = decies) creati sunt, as, quae decima denarii pars facta est, etiam etiamque magis fiduciarium pretium accepit atque eius pondus ita minutum est, ut solum unciae unius esset. Exeunte imperio, cum fiducia in moneta minueretur, pretium eius propius factum est pretio proprio et opus fuit usque ad 40 asses ad denarium faciendum.

- **Sestertius:** Romana et aenea moneta, vulgarissima, 2,5 assium.

- **Drachma:** antiquae Graeciae moneta argentea, quam imitati sunt ad Romanum denarium, Graeciae Europae et orientalis Mediterraneae moneta diu permansit. Non solum drachma est moneta Graeca hodierna, sed etiam superest in Arabum terris cum nomine «dirham».

- **Denarius:** Antiquae Romae moneta argentea, qua imitati sunt Graecam drachmam; initio 10 asses valebat. «Denarii» permulti signati in imperio Romano ei superfuerunt et per totam occidentalem Europam fusi sunt, ubi per complura saecula sola moneta re fuerunt; nam aurum rarum factum erat, accumulatum vel in torques solutum. Eos multum imitati sunt et Carolus Magnus, cum imitationes

plures in dies fierent nec originales semper valerent, pretium eorum abrogavit et in imperio suo bonos denarios Romanis denariis propinquos signavit. Quibus duas computandi unitates addidit: solidum et libram; ille duodecim denarios, haec viginti solidos valebat. Haec ratio assumpta est in occidentali Europa tota, etiam multo ultra imperii fines. Quam saeculo IX Scandinavi introduxerunt in Britanniam, ubi permansit usque ad decimalem reformationem anni 1971 (1£=20s; 1s=12d - litterula, qua «penny» designatur, originem eius demonstrat!). Monetis nationalibus nostris omnibus haec ratio origo est. Denario longa quoque historia fuit in orientali Europa et etiam in mundo Arabico, ubi in variis nationibus invenitur «dinar» nominatum.

- **Thalerus:** Saeculo XV fodinae argentariae magnae inventae sunt in Bohemia; quarum fortunati domini monetam signare statuerunt ubi primum argentum e fodina extractum erat. Aequare voluerunt pretium clarissimae monetae per Germanicas nationes tum usitatae: aurei, inquam, florini Florentini. Itaque argenteus nummus sic definitus maximus erat (fere 30 gr.); qui cum Joachimsthal in urbicula (nunc Jachimov) signaretur, nominabatur «Joachimsthaler» vel simplicius «thaler». Illud quasi studium, quod Germani alunt pro moneta sua, fortasse a thaleri tempore originem habet. Nam propter Sancti Georgii effigiem, qua in aversa parte sculptus erat, pro amuleto habitus est, neque ullus viator milesve iter incipiebat, quin unum saltem secum haberet, ut sub sancti praesidio se daret.

Paulo postquam thalerus ortus est, Hispani, qui lautas Novi Mundi fodinas exercere incipiebant, coeperunt et ipsi signare, Hispale prius, dein prope fodinas in Peruvia et praesertim in Mexico, magnos nummos argenteos octo «regalium»; illi «reales de ocho» (nominati etiam «douros», «pesos» vel «piastras») emissi sunt tam multi ut per mundum infusi sint; qui facti sunt non solum praecipua totius Americae continentis (septentrionalis australisque) moneta, sed etiam fere totius orientalis Asiae. Cum variis nominibus («piastre» in Indosina, «peso» in Philippinis, «yuan» in Sina, «yen» in Iaponia, «dollar» in Honcong Singapuraque, etc...), «real de ocho» facta est publica multarum nationum moneta; Sinensibus Iaponibusque principibus satis fuit eam imperialis draconis signo rursus signare.

In America septentrionales coloni, qui Germani vel Anglosaxones orti erant, eum nominabant «thaler» (anglice «dollar») propter similitudinem argentei nummi magni, qui tam popularis erat in septentrionali Europa; at Francogalli «piastre» (in Quebecensi regione dollaria etiamnunc vulgo dicuntur «piasses»). Naturaliter, novae

Septentrionalis Americae nationes liberae adhibuerunt «dollarium» et eis satis fuit signis suis id signare.

Germanos minus maestos fore, quod «marcam» suam relinquant, opinor, si carum veteremque sancti Georgii thalerum invicem reperiant.

- **Solidus:** Romanae reipublicae iam fuit aureus nummus, «aureus» nomine. Constantinus princeps, cum per aliquorum principum reformationes is paululum adulteratus esset, anno 312 novum creavit: «aureum solidum» vel «solidum». Solidus diu in usu fuit in orientali imperio (unde ad nos aliquot saecula post rediit, nomine «solidus bysantinus» - Francogallice: «besant»); ex occidentali vero Europa fere evanuit postquam occidentale imperium cecidit. Quem tamen, tam clarus remanserat, Carolus Magnus assumpsit, in anni 781 reformatione, pro computandi unitate duodecim denariorum. Nomen eius Romanum in australi Europa diu superfuit (sou, sueldo, soldo, sol, etc...), magis etiam Germanicum eius nomen in septentrionali Europa (shilling, skilling, schilling, etc...).

- **Florinus:** Inter aureas monetas, quae exeunte medio aevo apparuerunt, fuerunt quae magno internationali studio praecellerent: hoc evenit florino Florentino. Cum aureae monetae etiam tunc rariores essent, florinus maxime claruit in Germanico mundo, ubi aurea moneta eximia («gulden») facta est. Florino per longum tempus nullus aemulus verus fuit atque pleraeque monetae fere «exoticae», quae in Hansae vel centralis Europae fora adferbantur, plerumque solvebantur et in «gulden» vertebantur in localibus signationis officinis. Postea argenteus thalerus ita informatus est ut idem valeret ac aureus florinus. Multo postea, fere anno 1840, Angli, quibus iam erant mediae-coronae («half crown») duorum solidorum et sex denariorum (2 shillings and 6 pence) procedere statuere ad decimalem rationem; itaque duorum solidorum (2s) nummum signaverunt, quem florinum («florin») appellavere. Hoc modo libra sterlinga valebat recte decem florinos. Haec vero hactenus... et hic labor solum post 130 annos, anno 1971, repetitus est, cum creatum est «new penny», quae centesima pars est librae. Florini ergo (qui etiam tunc erant simul ac «half crown»; nam Britanni servatores sunt!) facti sunt nummi decem «new pence». Nomen igitur «florini» selegi ad duorum solidorum nummum.

- **Marca:** Origine Romana ponderis unitas, marca ab aurificibus servata est toto medio aevo occidentali. Fabricatores materiam sic praebebant signationis officinis, ut parvas palacras argentave gravia unius marcae, quae aliquando directo pro

nummis unitatibusve rationis habita sunt in quibusdam regionibus. Post Pepinidis imperii finem, in signationis officinis quaedam libertas erat: pro numero ergo denariorum, quos in argentea marca una excidebant, definiebatur horum denariorum pretium. Noti sunt, e.g., inter multos, denarii Hallenses (Heller Pfennig), denarii Provinenses, Turoni, Parisii, «sterlingi», etc... Mala moneta bonam fugante (ut edixit Gresham), denarii levissimi denique vicerunt. Borussi marciam («Mark») in centum denarios («Pfennige») divisam imposuerunt in imperio quod unificaverant. Eius pretium tunc definitum est quatuor marcarum pro uno thalero.

- **Scutellus coronatus vel scutulum coronatum:** Hic agitur de monetis, quae nominata sunt pro figuris, quae in aversa parte sculptae erant: aliae scutellum, aliae coronam, aliae crucem, aliae caput, etc... In harum monetarum memoriam, charta decem solidorum ornabitur cruce in scutello delineata, cui scutello corona superposita erit (scutellus coronatus); hoc modo quisque in sua lingua poterit eum sic nominare ut volet: scutellum, coronam, vel etiam crucem (c.f. «cruzado» antiquorum Lusitanorum); et hoc modo quoque postumus honor dabitur caduco nostro E.C.U. Primus scutellus, a Sancto Ludovico creatus, emissus est anno 1266 cum decem solidorum Turonorum pretio: propterea hanc selegi chartam decem solidorum.

- **Libra franca:** Libra, Romana ponderis unitas in origine, dicebatur libra vel aenea vel argentea vel aurea nec, omissis maximis aeneisque nummis (assibus), unquam in nummum effecta est, sed praesertim adhibita est, ut multiplicaretur «aureus», dein «aureus solidus». Carolus Magnus in reformatione sua edixit eam valere viginti solidos, id est 240 denarios. Multo solum postea facta est moneta aurea variis in nationibus: florinus Florentinus (a. 1252), francus Ioannis Boni (a. 1360), etc... Cum sciamus IX saeculo librae fuisse unum idem pretium in tota occidentali Europa, hilare est hodierna eius pretia comparare in variis Europaeae nationibus, ut videamus quam dissimiliter pretia diminuta sint: e.g. libra sterlinga etiam nunc valet 7,50 FF; sed libra nostra Turona 0,01 FF atque libra Italica 0,0025 FF!

Constitui viginti solidorum chartam nominare «libram francam», ut simul ostenderem originis eius universalitatem, quam voluit conditor eius (Carolus Magnus, Francorum rex et Occidentis imperator) et eam liberarem a nationalibus adulterationibus. Ita pro optione licebit eam nominare «livre», «pound», «Pfund», «lira», etc..., vel «franc» (noster enim «franc» est libra Turona, quae tempore rerum novarum a. 1789 aliud nomen

## *Proposita de Europaea moneta*

accepit), cum quatuor Europaeae nationes huius nominis monetam habeant (Francogallia, Belgica, Helvetia, Luxemburgum).

- **Ducatus:** Aurea moneta Veneta, quae valebat 48 Venetos solidos (a. 1284); itaque eam selegi chartam 50 solidorum. Ducatus vel «sequinus» (a nomine signationis officinae, ubi fiebat: «Zecca») famam in Europa habuit similem florino, in geographica vero area paulo varia.

- **Pistola:** Pistola vel dublo pulcherrimus nummus aureus fuit. Hispani, qui anno 1537 coeperant emittere scutellos aureorum grammatum 3,10, postea instituerunt signare duplices scutellos (6,20 g.), «duplones» vel «pistolas». Commercio et cursu et piratica haec moneta diffusa et vulgata est per cunctas Atlanticas regiones, et Europaeas et Americanas.

Ut rem concludam, manifestum est etiam de moneta sub hodierna varietate venerabile communeque patrimonium re latere. Puto bonae Europaeae paedagogiae abundanter utendum esse huiusmodi imaginibus symbolisque, quibus apparet quantum commune nobis sit sub speciosa varietate celatum. Europaeenses timent, ne in Europa «animas suas amittant». Ceterum sibi videntur diligenter seponi ab Europae exstrukione, quam adhuc sibi servant publici officiales et oeconomiae aerariique periti. In Europaea Unione videntur debere esse non «cives», sed «emptores» in liberae mercium permutationis area, quae sine impedimento magnis transnationalibus

societatibus patet. Si consilium eorum, qui Traiectus ad Mosam (Maastricht) foedus sequuntur, non est hoc, sine mora sunt tandem danda quaedam perspicua signa! Si systema a me propositum admittatur, manifestum fiat rectores non solum magnas societates internationales curare, sed etiam cordi habere commune humani cultus patrimonium Europaeensium. Tale inceptum potest esse fecundae paedagogiae origo nec non aliorum inceptorum, quibus civibus rerum oeconomiarum aerariive imperitis tandem liceat participes esse, in rebus suis culturalibus historicisve, aedificandae Europae, quae non sit terriculum his multis, qui oeconomiam non praeponunt humano cultui nec virtutibus consuetudinibusve, quas amant. Identitas (male notata) primum est memoria in historia (quae est collectiva memoria) inscripta. Si homines desinant, cum sperent magnas XX saeculi caedes delere, oblivionem fingere, et velint longius repetere totam Historiam usque ad originem, videant Europam non sepulchrum esse ab «animis» nationalibus metutum, sed hoc «animae supplementum» quo hodie egent. Magna «renascentia» historiae nostrae nulla hoc processu caruit.

Nota bene: Latina verba «thalerus» vel «ducatus» quibusdam videri possunt nova verba subridicula. Quae tamen aequalia sunt monetarum quae sic dicuntur; nam illis temporibus Latina lingua toti Europae communis erat. Creanda igitur erant nova verba ad aequales res notionesve dicendas. Haec ambo verba (thalerus et ducatus) indicantur et alibi et in «Glossario mediae et infimae Latinitatis», quod DU CANGE fecit (a. 1678). ☛

### **Quaeruntur petitores Europae Latinae faventes et consilium «ALCUINUS» dictum sustinentes**

Per hoc consilium, viros politicos Europaeos incitare volumus, ut communem Europae hereditatem Latinam esse meminerint.

Ii qui hoc consilium sustinere volunt scribant (chartulis cursualibus) ad:

M. Alexandre LAMFALUSSY  
Président de l'Institut Monétaire Européen  
Eurotower; Willy Brandt platz 2  
D-60311 FRANKFURT

COMMISSION EUROPEENNE  
M. Jacques SANTER Président  
200, Rue de la Loi  
B-1049 BRUXELLES

Daniel DUTOYA  
9, rue du Plateau,  
F-95530 LAFRETTE-s/Seine

Sufficit ut dicant (vel Latine vel vernacula sua lingua) se «CONSILIUM ALCUINUS» sustinere cum destinatores iam late certiores facti sint, opera nostra, de hoc proposito.

Gratias omnibus agunt auctores propositi.

# INGENUUS - SERVUS - LIBERTUS

SCRIPSIT VALTHERUS FUCHS

## II. SERVUS

In quibusdam lapidibus sepulcralibus et in libris auctorum Romanorum *mangonis* vocem invenimus, e.g. in titulo cuiusdam lapidis sepulcralis Coloniae effossi (CIL XIII 8348)<sup>1</sup>:

C.AICIUS.P.F.STEL.MANGO.HIC.SITUS.EST.VALE.AIACI

Vox *mangonis* aut cognomen designat Umbrum aut virum quendam mercaturam mancipiorum exercentem. Romae *mercatus publici mancipiorum* exstabant, ubi *mangones* (= *mercatores venalicii*) servos venales proponebant. Forsitan Pater Aiaci avusve verus erat mango - ac «mango» cognomen est factum.

\*  
\* \*

Pugnis confectis duces legionum milites hostium captos sub iugum mittere mercatoribusque mangonibusque vendere solebant. Pecunia persoluta generatim aerario mittebatur Romano, nonnumquam autem militibus quoque Romanis bini sorte concedebantur servi, qui a dominis suis maximam partem bene tractabantur. Milites autem Romani tales servos sibi concessos mox iterum mangonibus vendebant, cum servi in praeda capienda maximo essent impedimento: praeda facienda enim militibus maximi erat momenti in bellis gerendis, scopus erat principalis.

Nonnullae urbes et provinciae in Asia Minore centra erant mercatum mancipiorum, e.g. Delus et provinciae Cilicia, Pamphylia.

Servi navibus in Italiam vecti primumque publice propositi in *catasta* stabant pedibus calce gypsove cretave illitis; tangebantur, inspiciebantur, palpabantur, nudabantur - «ne qua vitia corporis laterent» (Sen. ep. 80,9); pittacia collo erant affixa referentia de nomine, origine, aetate, statu valetudinis, indole, num essent profugi, perfugae, erronee etc.

Non solum milites capti proponebantur; alii servitudinis fontes viri erant scelesti, obaerati, verna ingenuique qui sua sponte in servitum se dederant, homines a grassatoribus rapti, infan-



tes a parentibus expositi aut a piratis rapti.

*Vernae* proles erant familiae rusticae aut urbanae hereditatem domini augentes, quorum infantes una cum ingenuorum infantibus educabantur. Membra quasi familiae habebantur: fidi et certi erant dominis, numquam rebellabant quia libertatem numquam degustaverant.

\*  
\* \*

Multi infantes in antiquitate exponebantur a parentibus - paupertate coactis - et in Graecia et in Italia. Distinguendum est inter *expositionem* et *parricidium* infantium. Permulti tales infantes mortem obierunt ob crudelem expositionis modum; multi autem tollebantur a mercatoribus praecipueque a mangonibus, educabantur in servitute tamquam verna. Permagnum enim requirimentum erat servorum (cfr Ryoje



Motomurai, *The practice of exposing infants and its effects on the development of slavery in the ancient world*, Leiden 1988, p. 410 sqq.). Tales servi dominis erant acceptissimi, obsequentissimi, quia numquam vitae cognoverant condicionem nisi servitutem. Captivi enim sub iugum missi memores erant libertatis et saepius insurgabant contra dominos suos.

Omnibus regionibus hostium pacatis servorum desinebat confluxus novique fontes ergo erant quaerendi i.e. maximam partem exin agebatur de infantibus ingenuorum expositis. Parentes tales infantes ne frigore interirent hieme in stercore deponere solebant, unde cognomen «*stercorius*» sive «*stercoria*».

Multi tales infantes ignari erant originis; concludere ergo licet eos aut raptos esse aut a parentibus venditos aut expositos. A mercatoribus mangonibusque tollebantur et tamquam servi educabantur. Talia legitima habebantur et acceptabilia in societate cuius servorum pretia augebantur in dies. Ex omnibus imperii partibus tales servi Romam vehebantur, praecipue puellae puerique bene educati relationum sexualium causa. Quae consuetudo infantium exponendorum usque ad tertium p.C.n. florebat saeculum.

\*  
\* \*

Hierosolyma capta Tito imperitante 100.000 Iudaei a Romanis in minas, latifundia, pistrinas, molinas, lapicidinas aut in arenam missi utiles non se praestabant servituti domumque sunt remissi (cfr Volkman, *Die Massenversklavungen eroberter Städte in hellenistischer und römischer Zeit*, Wiesbaden, p. 223).

C.I. Caesar bello Gallico confecto decies centena milia Gallorum sub iugum missorum in Italiam curavit vehendos decies centenis Gallorum in bello occisis.

\*  
\* \*

Ne obliti simus servitutem in antiquitate institutionem fuisse translaticiam et in Italia et in omnibus orbis terrarum regionibus. Usque ad tertium a.C.n. saeculum pauci tantummodo servi regionum circum Romam urbem sitarum inveniebantur in capite.

Inde a tertio a.C.n. saeculo multa gerebantur bella, non modo in Italia ipsa, sed etiam in Hispania, Gallia, Germania, in Asia Minore, in Africa septentrionali multique abducebantur mili-

tes hostium capti tamquam servi.

Multi servi «*familiae urbanae*» - i.e. universalitatis servorum in urbe viventium - «*publici*» erant servi aquaeductus curantes, vias, itinera, aedificia publica, templa, balnea publica, thermas, cloacas etc.

Servi in domibus divitum viventes muneribus fungebantur praecipue domesticis beneque tractabantur bene vestiti et nutriti, tamquam nutrix, tonstrix, ornator, notarius, secretarius, coquus, paedagogus, nomenclator, triclinarius, tricliniarcha, puer ad pedes, a cyathis, a supellectile, etc. Maximam partem - quod pertinet ad servos «*familiae urbanae*» - agebatur de Graecissantibus in paedagogiis institutis ubi artes didicerant e.g. legendi ac scribendi. Propter consuetudinem cottidianam cum domino aestimabantur ac ante aetatem constitutam manumittebantur. Labor in domo satis erat iucundus, peculium iis praeberi solebat.

Ruri condiciones sociales servorum longe erant peiores, miserrimae; catenis compedibusque vincti in campis laborabant custoditi a servis vilicis saepe crudelissimis. Numellas gestabant collo affixas quibus nonnumquam verba erant incisa: «*Fugi tene me*». Inhumaniter tractabantur in metallis, molinis, ergastulis poenisque expositi severissimis noctuque vincti custoditi in ergastulis. Omni spe orbati - domino in urbe habitante - vix umquam manumittebantur morteque acerba ante aetatem e vita excedebant.

Servi a multis dominis *res* habebantur ac proinde tractabantur tamquam *res*: non habebantur *persona*, non erant sui iuris.

Secundum Varronem auctorem tria in orbe terrarum genera erant instrumentorum:

- instrumenta mutua: plaustra etc
- instrumenta inarticulata: iumenta, pecora
- instrumenta articulata: servi (cfr Jo Ann Shelton, *As the Romans Did*, Oxford, 1988, p. 175).

\*  
\* \*

Sed quid de serva?

Servae tribus infantibus partis operis eximebantur; si quinque aut plures iis erant infantes, manumittebantur - infantibus earum rem familiarem dominorum augmentibus.

Servae quoque praeda erant militum, piratarum, abductionum. Maior pars earum ancillarum in servitutem inciderant, nil didicerant in iuventute (cfr Sarah B. Pomeroy, *Frauenleben im klassischen Altertum*, Stuttgart, 1985, p. 294 sqq.): in domibus parentum adoleverant, non erant



peritae ut domisedae, ergo in servitute Romanorum una cum domina ingenua ante colum, ante iugum sedebant aut sarciebant. Aliae erant nutrices, obstetrices, puellae culinariae.

Servae in familiis Romanorum divitum certis artibus ac muneribus excolebantur: librariae fiebant, secretariae, famulae cubiculariae, ornatrices, tractatrices, praelectrices, aegrorum ministrae. Infantes servorum familiarum Romanorum divitum in urbibus non nesciebant se quodammodo bene excultum iri et plus minusve persuasum habebant se mox manumissum iri.

Multarum servarum erat dominam foris comitari; tali modo auctoritas dominarum extra quoque domum valde augebatur; crepidas iis induebant, umbellas iis porrigebant pluvia cadente, scamnum ponebant ante lecticam ut domina commodius inscendere posset aut descendere.

De vita servarum ruri viventium paucissima tantummodo scimus.

Quod attinet ad sexualitatem, servae dominis omni tempore oboedire debebant, ea de causa huic scopo servae, praecipue puellae expositae, persaepe emebantur. Immo vero Cato censorius post mortem uxoris omni nocte puellas in cubiculum accepit. Itemque Augustus et Claudius imperatores commercium libidinis habebant permultis cum ancillis. Servae immo vero iussu domini concubitum habere debebant cum conservis domus.

Tale commercium sexuale dominis servarum magno erat emolumento pecuniario: multae enim servae operam suam locare debebant tamquam meretrices in lupanaribus, in tabernis, in balneis publicis.

Puellae modo natae et a parentibus expositae ea de causa - i.e. commercii sexualis causa - tollebantur et excolebantur.

Feminae histriones scaenicae quoque inveniebantur, quae nudatae apparebant in scaena theatri.

Concubinatus institutio erat translaticia, nota dominatrix et typica in systemate sociali Romanorum. Obligatio fidei immo vero pertinebat ad *concubinas*, quae insuper vestitae erant aequae ac uxores ingenuae: incedere solebant capite corporeque tectis (cfr Georges Duby-Michelle Perrot, *Geschichte der Frauen*, Frankfurt/Main, 1993, p. 352 sqq.).

Praecipue libertae onere laborabant complurium graviditatum morbisque ex senio ante aetatem. Corporibus earum aetatis infirmitate debilitatis liberto cuidam aut servo committebantur.

Uxores summorum societatis ordinum aegre non ferebant quoad commercium libidinis maritorum cum ancillis aut concubinis. Uxores

nonnumquam concubinas ipsae eligebant pro maritis. Coniunx Scipionis Africani e.g. hac in re bono est exemplo: Scipione defuncto servam eius manumisit et cuidam liberto collocavit in matrimonium (Val. Max. 6,7,1). Livia quoque Augusti amantissima marito suo puellas eligere deflorendasque adducere solebat (Suet., Augustus 71).

\*  
\* \*

Seneca stoicorum discipulus dixit: «Omnes homines sunt aequales». Secundum *ius gentium* autem fieri poterat, ut homines, qui numquam crimen commiserant, sub corona venirent.

Qua de causa mirum non est decursu temporum nonnullos *tumultus serviles* ortos esse:

- anno 155 a.C.n. primus motus servilis ortus est in Sicilia
- anno 104 a.C.n. secundus motus servilis in Sicilia
- anno 119 a.C.n. motus Aristonici in Asia Minore
- anno 73 a.C.n. gladiatorum motus Spartaco auctore.

Servi autem non solum milites hostium capti erant aut infantes a parentibus expositi, homines a piratis rapti et a grassatoribus, obaerati; alii quoque exstabant fontes servitudinis:

- si quis ratione iuridica inciderat in servitatem;
- necessitate coacti multi homines domum vendebant, pecora, tum infantes, uxorem, denique se ipsos;
- si quis censum vitaverat aut militiam;
- si quis infantes nutrire non iam valebat - inopia ciborum - vitae servandae causa in servitatem sua sponte se contulit.

Pretia servorum varia erant: puellae pulchrae plurimi constabant, itemque notarii, medici, obstetrices, eunuchi. Pretium servi eruditi: circa 700.000 sestertium. Servi electi ac vernae privatim veniebant (cfr Joachim Marquardt, *Das Privatleben der Römer*, Vol. I, 1980, pp. 161-199). ☛

(sequetur)

<sup>1</sup> Re vera puncta, quibus in lapidibus sepulcralibus verba separantur, puncta triangula sunt foliumque hederæ plantae imitantia. Hedera planta est quae et vere et aestate et autumno et hieme viridis est, numquam mori videtur. Symbolum ergo erat aeternitatis, i.e. vitae aeternae. Qua de causa in permultis titulis lapidum monumentorumque sepulcralium incidi solebat.